



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Ejusdem epistola adversus Gaufredum Comitem Ruscinonensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

*EIVSDEM ADRIANI  
epistola ad Berengarium Archiepiscopum  
Narbonensem, Artaldum Episcopum He-  
lenensem, & Barones per Helenensem epis-  
copatum constitutos, adversus Gaufredum  
Comitem Ruscinonensem.*

Circa an.  
1156.

37. q. 1. c. 3.  
*Illud verò.*

**A**drianus Episcopus servus servorum Dei ve-  
nerabilibus fratribus Berengario Narbonensi  
Archiepiscopo & apostolicæ sedis Legato, & Ar-  
taldo Helenensi Episcopo, & universis Baronibus  
per Helenensem episcopatum constitutis, salutem  
& apostolicam benedictionem. Quæ à prædeces-  
soribus nostris rationabiliter sunt statuta, nullius te-  
meritate volumus perturbari, sed inconvulsa ea  
mandamus & illæsa ab omnibus observari. Præde-  
cessor autem noster felicitis memoriæ Papa Eugenius  
Comitem Gaufredum & eam quam tenet adulteram  
excommunicationis vinculo innodavit, pro eo vide-  
licet quòd legitima uxore dimissa, non est veritus  
adulteram sibi matrimonio copulare. Et quia, ut  
nobis dicitur, pertinaciter adhuc in sua iniquitate  
perdurat, eandem sententiam ratam habentes, man-  
damus eam ab omnibus inviolabiliter observari, sta-  
tuentes ut eidem Comiti nunquam sit liberum, legi-  
tima etiam uxore defuncta, eam sibi matrimonio  
copulare quam non est dubium manifesto adulterio  
polluisse. Filios autem quos ex adultera in adulterio  
procreavit, qui spurij à jure censentur, decernimus  
perpetuò paterna hereditate carere; nec eis liceat  
ullo tempore aliquid hereditatis ipsius Comitis jure  
successionis petere vel habere. Si verò ab eis hoc  
fuerit aliquando attentatum, excommunicationis  
vinculo se noverint innodandos.

LITTERÆ